

1379 hostibus patere potuit, jam antea a Venetis fuerat occlusa. Castellum citra portum cum præsidio, ut ad Medoacum, erexerant, navim ad hæc e regione illius, armis virisque instructam mediis statuerant aquis. His impedimenti retardatus hostis, quo minus, occupato portu, qui ad mille passus Clodia distat, recta ad urbem oppugnandam venerit: cui circa portum sedenti paucissimis diebus ingentes copię affuere. Nam præter Patavinos & mercenarium militem quem Franciscus Carrarius secum duxerat, appendices quoque Aquilejensis Antistitis aliæque auxiliares copię eo venerant. Verum enim vero, quum nihil sedendo profecturos se viderent, statuunt uno tempore castellum ac navim oppugnare. Eductæ igitur portu ganzariolæ duodecim, aliquantisper exterius circumactæ, parvæ Clodiæ littoribus appellantur: atque ita appulsas ingens vis hominum per tumulos qui littoribus imminet, in internas aquas pertraxere. Statuunt ad hæc bellicas in ipso littore machinas, ut a fronte a tergo & a lateribus uno tempore præsidium fatigarent, nonnullæ etiam Ligusticæ vi admotæ missilibus Venetum infestabant: atque eo modo telorum multitudine afflicti, qui intus erant, suæque paucitati diffisi, castello cum nave incenso, ne hostibus usui esse posset, in urbem se recipiunt. Patavini, & qui in adversis littoribus stabant, ubi Venetum cedentem videre, ingenti clamore sublato, actum, dicere: *victos esse Venetos: fractos feroces ipsius gentis spiritus: cum ipso nomine ad unum omnes interituros*. Illi vero ad Dominici fanum tres onerarias adversus propinquantem hostem armis & viris instructas statuunt: & ii qui ad præsidium urbis erant, facta repente eruptione, ea parte, qua pons ab urbe ad parvam Clodiam protentus erat, in hostes subito invehuntur: fuitque aliquandiu anceps prælium. Verum superante hostium multitudine (quippe qui ad quatuor & viginti millia fuisse dicuntur) Veneti intra urbem, amissa altera parte pontis, trepide compelluntur. Erant in urbe præter oppidanos tria millia armatorum & quingenti: quorum ductores centurionesque fuere Baldus Gal-